



**S**anctus Trutbertus ex nobili familia apud Francos originem habuit. Is magna pietate & eruditione præditus Christi Euangelium prædicauit, atque homines in uero Dei cultu instituit. Cum autem Bertharius Austrasiæ dux, quem postea Pipinus primus ob tyrannidem eiecit, huius Trutperti, & eius fratris Sancti Rudberti admonitiones ferre non posset, eos proscripsit, et sua ditione excedere iussit. Itaque cum exilium æquo animo ferrent, ne interea ocio torperent, & ut reliquas Germaniæ gentes ad Christi ouile congregarent, iter difficile ac plenum omnis generis laborum susceperunt. Tum uerò Rudbertus Boiarios sibi delegit, atque fratri germano Hercynij nemoris incolas commisit. Ad eos cum Sanctus Trutpertus intrepidus uerbo Dei munitus accederet, in ditione Ottoperti Comitis Habsburgensis atque Altpurgensis, tertio ferè à Frisburgo Brisgardiæ milliario, in ipsis Hercyniæ saltibus exploratus, à latronibus, quibus salutem adnuntiabat, occiditur. Id cum Ottobertus intellexisset, atque ex miraculis huius uiri innocentiam cognosceret, de fontibus primò condignum supplicium sumpsit, atque martyrem honorificè sepultum templo exornauit. Vnde eius successores postea eo in loco nobile monasterium condiderunt, atque abbatiam Sancti Trutperti fundarunt. Laz. Gen. Aust. libro primo.